



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Asiaticae Historiae Societatis Iesv Pars ...

Libris Quatuor Comprehensa: Vbi praeter res gestas à Patribus Societatis Iesv in conversione Sinarum, Cocincinae, & Tunchini Regnorum nihil omittitur eorum, quae possunt liberali placere Lectorum curiositati

Bartoli, Daniello

Lvgdvni, 1670

39. Ludi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10757

eendis Pædagogi fungatur munere, & sensim expoliat vrbanitatibus
 patriis, in quibus illic tantum momenti reponitur: iis in scholis quam-
 diu educantur, prohibentur omni planè ludo, graui prorsus nugacis
 ætatulæ cruciatu. Nec verò facile ab Sinis, nisi primoribus luditur, &
 sunt formæ ludorum tam ingeniosæ, nihil vt tale cernatur in Europa,
 vt missos faciam reliquos, eorum latrunculi ab nostris plurimum dif-
 crepant, Rex vltra passus quatuor non procedit; duo illi semper, hinc
 & hinc assident consiliarij; nullus ibi feminæ locus est, ne ficta quidem
 & ludiera palam toleratur; quadris ritè trecentis distincto vtuntur al-
 ueo, in iis calculos alter centum digerit candidos, totidem aduersa-
 rius, sed nigros: interrumpendi sunt hostiles manipuli, qui hostem
 campo prorsus extruserit, victor est; quod minori quam horæ spatio
 nequaquam conficitur, noctes eo in ludo solidas trahunt Literati, sunt-
 que in pretio qui eius artes docent, foliis non ludunt, nec aleam iaciunt
 nisi viles, & mediastini: pueris vt ludo minimè arcerentur, inest ad lite-
 ras is ardor, qui vltro ad illas eos rapit. Festos Sinis dies præter qua-
 tuor non legi: solennem præ cæteris primæ lunæ annique ipsorum exor-
 dium, quem ad plenilunium perducunt; excipiuntque altero quem vo-
 cant Laternarum, ob gestientis laticæ publicam ostentationem, quam
 suo quisque iocoso pro genio edunt, figuris luminum domi forisque
 variè accensis. Lunæ tertie festum functorum honori celebrant tertio
 eius die, quartum fluminibus Luna quinta; Lunæ ipsi quintum, se-
 ptimo eiusdem septimæ Lunæ die. Præter dies hos paucos, nulla toto
 anno ab scholis & studiis quies, etsi plures nobis quotidie ijs horas in-
 sumant. Superiores eorum facultates, miror magis ob illa quæ sciunt,
 quam ob ea quæ nesciunt video: debent id quicquid est quod norunt,
 suo ipsorum ingenio & inuentioni, furto nihil, aut aliarum gentium
 labori, quo si vellent ditari profecto, quantum nobis nunc subsunt, tantò
 altius eminerent. Præstant enim nobis felicitate, ingenij, & studendi
 assiduitate; sed vitæ pars bona iis abire, in characterum arcanorum in-
 finitate cognoscenda; quæ plus quam mediocri dum carent, non possunt
 suorum magistrorum antiqua capere monumenta, laudem alioqui ex-
 cogitandis nouis promerituri egregiam, qui discendis diu pridem in-
 uentis consenserunt; quod ne gratuitò iis à me præstitum videatur na-
 turæ primum cognitionem quod attinet, excellere semper in astrono-
 micis, ac si eorum annalibus fides, ante annos quater mille trecentos,
 Cyclus quidam veluti solaris ab iis inuentus est, qui volumine anno-
 rum sexaginta circumferberetur; tot enim annis seculi sui orbem desi-
 niunt: historicorum Sinensium libros centum Nicolaus Trigaultius cum
 patientissime legisset, ex iis Latine quæ scitu dignissima censuit, in Eu-
 ropam tulit; inter quæ notat iam inde ab annis vniuersali diluuiò proxi-
 mis, cœpisse Sinas cœli motus seruare, non per minutias fractorum
 graduum, sed per integros gradus; iisdem historiis, defectiones solis
 vltra ducentas legi, consignarique suo singulas anno, mense, die; sed
 hora

Ludi. 39.

40.
Festa & in-
stitiū Scho-
lasticum.41.
Inuentio at-
tium.Astronomiæ
& mystic. nu-
merorum.

hora